

- LECTIO.** *Manus mea nocte.]* Vulgata Latina: Deum exquisit manibus meis nocte contra eum: Græcus: Ινα νύκτιο πάρεστις. A
Ver. 2. id est, coram eo. (non sum deceptus. Iustinianus: Plaga mea nocte decurrit. Sic & Pagninus. Symmachus:
Ver. 3. Manus mea nocte sine intermissione extendebatur. Felix: Vulnus meum per noctem defluxit.
Ver. 4. Et conturbabar.] Græc. & vulg. Lat. Et delectatus sum. Iustinian. Et tumultuabor. Sic & Pagnin. Felix:
Ver. 5. Et vociferabor. Chald. Et rugiam coram Deo. Campens. Et eiulabo ad illum.
Ver. 6. Tenebas palpebras oculorum meorum.] Græc. & vulg. Lat. Anticipauerunt vigilias oculi mei. Hieron. Prohi-
bebam suspectum oculorum meorum. Iustin. Apprehendisti custodias oculorum meorum. Pagn. Tenuisti vigilias, &c.
Et annos seculorum. Græc. & vulgata Lat. legunt: *Et aeternos:* Et addunt: *In mente habui.*
Recordabar psalmorum meorum.] Ebr. יְהִי רָצֶן. Græc. & vulgata Lat. vocem hanc non reddiderunt.
Iustinian. vertit: *Cantus mei.*
Et peruestigabat spiritus meus.] Græc. καὶ ἀπέπειρε τὸν ψυχικὸν μέρη: id est, *Et inquisivit spiritus meus.* Vulg. Lat.
Et scopebam spiritum meum. Sic & Hieron. & Iustinian. Pagn. *Et scrutabitur spiritum meum.* Felix: *Et perscrutabitur spiritus meus.*
- Finémne habet oraculum.*] Vulg. Lat. particulam hanc non reddidit.
Ista est imbecillitas mea.] Græc. & vulg. Latina: *Nunc cœpi.* Felix: *Expectatio mea est.* Pagnin. *Et cogitauit occidere me, propter annos dexteræ excelsi.*
- Sicut Deus.*] Græc. & vulg. Lat. addunt: *Noster: quod in Ebræo non est.* Sic in versu 15. legunt: *In brachio tuo: cum Tuo, non sit in Ebræo.*
- Inundarunt aquas nubila.*] Græc. & vulg. Lat. *Multitudo sonitus aquarum.* Hieron. *Excusserunt aquas nubila.* Felix: *Effuderunt aquas nubes.* Reliqua satis concordant.

PRIMA PARS.

EXPLA- *Vocem mea ad Deum.*] Per vocem intellige ardentem precationem, & anxios mœsti cordis eiulatus, quibus opem Dei in tribulationibus quærebat. Ideo recte adiectum est verbum *clamandi.*

Ver. 1. *Habet autem hic versus, veluti summam quandam totius Psalmi, qua simul usum illius mox initio ponit Prophetæ, cuius illum gratia Ecclesiæ Dei præcindendum dederit, quid videlicet in illo obseruari, & in exemplum rapi voluerit: nempe quod in tribulationibus constitutus, voce sua & eiulatu ad Deum clamârit, & ab illo sit exauditus. Hoc multis Psalmis populo Dei commendat, præsertim supra Psalm. 66.*

Huc etiam facit, quod non simpliciter dicit, Ad Dominum clamaui, & auscultauit mihi: sed, Vox mea ad Deum, clamabam nec id semel tantum, sed secundò: Vox mea, inquit, ad Deum, & auscultabat mihi. Quibus verbis nihil aliud agit, quam ut certò se ad Deum clamassem, & exauditum esse testetur: ut si quid certò vidisse te, ac cognouisse testari volens, non simpliciter dicas, Vidi hoc: sed, Vidi hoc hisce oculis meis.

Et auscultauit mihi. Vnde hoc cognovit: Ex liberatione. Sed cur non cogitauit casu se, vel propria liberatum esse industria? Hæc cogitatio est incredulorum, quibus ne latum quidem diuinitus auxilium persuadet, quod orando sint exaudiiti. Omnia enim ægerrimè creditur, arrigere Deum aures ad preces afflictorum. Ergo fides, quæ sola verè ad Deum orat, sola etiam audisse ac succurrisse Deum agnoscit & fatetur.

Ver. 2. *In die tribulationis meæ Dominum quærebam.*] Quod dicit, *Vocem suam & clamorem fuisse ad Deum*, id iam amplificat: & quid factum sit animi angustia, vñq; ad vers. 10. docet. *In die tribulationis meæ Dominum,* inquit, *quærebam.*

1. *Obserua primum, quod tribulatum & angustiatum se fuisse dicit, non solùm iniuria malorum affectum, וְרֹאשׁוֹת בַּדָּבָר, inquit: id est, in die angustiae meæ, videlicet cum anxius essem. Ergo in rebus aduersis etiam sancti redundunt anxiæ, ne quis Stoicum quiddam in illis quærat.*

2. *Deinde, quod angustiatus confugerit. Dominum, inquit, quærebam. Quæritur Deus bifariam à pijs. Primum, perpetuo erga illum timore, & irremissa voluntatis ipsius obseruantia. Sic Psal. 14. legimus: Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret num esset intelligens quis. quam, quærens Deum. Deinde, imploratione auxiliij. Sic Esa. 55. Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum propè est. Priore modo semper, posteriore verò in die tribulationis recte quæritur. Exigit autem posterior modus priorem. Frustrà namque in tribulationibus Dominum quæreremus, si præterea nulla erga illum obseruantia fuerimus.*

Manus mea nocte extendebar.] Habet prima Psalmi pars, post præmissam summam, hæc duo. Primum, quantus fuerit angustiati cordis æstus: alterum, quæ fuerint illius cogitationes malum non relevantes, sed potius agrauantes. De primo intelligenda sunt, quæ hinc ad versum usque quintum: de altero, quæ subinde ad decimum usque tractantur. In primo meminit quam totus & corpore & anima ac spiritu consternatus fuerit. Ita dicit manus fuisse extentas, animam respuisse consolationem, spiritum mœrore fuisse obuolutum, oculos non admisisse somnum, linguam consternata nihil esse loquitam.

De manuum extensione vide Esa. 1. *Manus ad suprema extentæ, supplicis animi symbolum habent. Nā ita comparati sumus, ut animi submissionem externo corporis gestu declaremus. Indicat itaque verè se humiliatum ac supplicem, diuinam ambiuisse clementiam. Nocte, inquit. Commodum precationibus senioribus tempus nocturnum est, vbi post diurnū strepitum, semotis testibus, effuso mœsti cordis æstu, ad Deum oratur. Nullus hic locus est hypocrisi, vbi nihil sub oculis mortalium, sed in vnius Dei conspectu agitur. Tales precationes requirit à suis Christus, Matth. 6.*

Consolationem respuebat anima mea.] Hoc est, Nulla apparebat spes rerum meliorum, quæ potissimum animis afflictis consolationem adferre solet: ut non admittere consolationem, idem sit atque despera-